Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



273

ebullit stultitiam. In omni loco oculi dni contemplantur bonos et malos. Lingua placabilis lignum vite que autem immoderata est conterit spiritum. Omnis insipiens multiplicabit scientiam. Et in ventre insipientis conturbatio. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Iniquitates impiorum abhominabiles domino. Vota iustorum placabilia. Qui sequitur iustitiam diligitur a domino.

Isti in perpetuum vivent. Lectio libri sapientiae. 9.

Timor domini est initium cordis: et cogitatio apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu domini: quia dextera sua teget eos et brachio suo defendet eos. Accipiet armaturam zelus illius: et armabit creaturam ad vindictam inimicorum. Induet iustitiam pro thorace iudicium: et accipiet galeam inuictum. Sumet scutum inexpugnabile equitatem. Vibrabit durissimas iracundias. Et ad certamen decidet illos dominus deus noster. Lectio libri sapientiae. 7.

Qui timent dominum non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt eum conservabunt viam illius. Qui timent dominum inquirent quae bene placita sunt illi: et qui diligunt eum replebuntur lege ipsius. Qui timent dominum parabunt corda sua: et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent dominum custodiunt mandata illius et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius. Lectio epistolae beati petri apostoli. 1. c. 1.

Benedictus deus et pater domini nostri iesu christi: qui secundum magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem vivam per resurrectionem iesu christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam